

**Iohan. lesseni a lessen De sympathiae et antipathiæ rerum naturalium caussis disquisitio singularis. : Quam in publico pro virili ad cal. lunij defendere conabitur M. Daniel Sennertus Vratislaviensis.**

### **Contributors**

Jessenius, Johannes, 1566-1621.

Sennert, Daniel, 1572-1637.

Typi Meisnerianis

### **Publication/Creation**

Witebergæ : Imprimebatur typis Meisnerianis, M.D. XCIX. [1599]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/shrega4z>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

25

IOHAN. IESSENII  
A I E S S E N

DE SYMPATHIAE ET  
ANTIPATHIÆ RERVM  
NATURALIVM CAVSSIS

*DISQVISITIO SINGVLARIS,*

*Quam in publico pro virili ad Cal. Junij  
defendere conabitur*

M. DANIEL SENNERTVS  
Vratislaviensis.



WITEBERGÆ,  
*Imprimebatur Typis Meissnerianis,*  
M. D. XCIX.

INCLYTÆ VVITE-  
BERGENSIS ACADEMIAE  
RECTORI MAGNIFICO,

COETERISQUE QVATVOR FACVLT:  
PROFESSORIBVS,

VIRIS REVERENDIS,  
CONSULTISSIMIS, EXPERIEN-  
TIA ET MULTIPLICIS DOCTRI-

NAE LAVDE  
CLARISSIMIS.

DOMINIS COLLEGIS SVIS,  
OBSERVANTIAE ET  
BENEVOLENTIAE

Ergo

Ponit

AUTHOR.

# DE SYMPATHIÆ ET ANTIPATHIÆ RERVM Naturalium cauſſis.

P R O O E M I V M .

**N**ihil in universâ Naturâ corporeâ adeò controversum & intricatum, adeò diligenter ab omnium seculorum Philosophis investigatum, quam Odij & Amicitiae Rerum Physicarum germanæ cauſſe cognitio. Quam facile enim hoc dissidium, hanc conſpirationem cuivis etiam intueri concessum, tam ſeriò horum negata videtur ratio, nec dum ( quantum quidem mihi videtur ) res ſatis perspecta, neque inter tot, qui Archimedum illud, εὐγνα, εὐγνα exclamare ausus fuerit, compertus ullus; quantumvis etiam ſtudiosè ad laboratum. Opera pretium igitur facturus mihi videor, ſi id, quod excellentium hominum judicio de hac re compertum habeo, in medium proposuero; quod priusquam exprimam, antè que priscorum fuerit de his affectionibus ſententia, Aristotelis commune res tractandi institutum ſecutus, dicam, eorundemq; lapſum oſtendam, unaq; Novitiorum quorundam ſupinitatem & negligentiam; paucis multa, & generatim quidem ( quando, ſecundum Philosophum, particularium accurata non detur ſcientia ) complexurus.

Quas Sympathiæ & Antipathiæ Naturalis Cauſſas Antiquitas putarit, enumeratur

C A P . I.

**S**olum qui Deum Sympathiæ & Antipathiæ Rerum naturalium cauſſam ſtatuerint inter Antiquos reperti. Rurſum alij,  
*A 2 quis*

qui vim hanc Ideis acceptam ferrent, Species ex Ideis in Materiam transfusas res ad amorem vel odium urgere existimantes. Quibusdam verò visum est, caussam hanc divinis Attributis illis tribuere, quorum opera Deus per Intelligentias cœlestium corporum virtutem in Entia omnia transfundat, eiusq; expertem nullam creaturam patiatur. Sed non defuerunt, qui totum hoc ab Intelligentijs emanare putarent; singulis in hoc terrestri orbe peculiarem Intelligentiam assignantes. Secuti deinceps alij, qui cum inferiora hæc à superioribus lationibus gubernari, corporaq; omnia cælo plena esse sentirent, cælo principium hoc, nullâ tamen expressâ singulari ratione, imperfectissimè adscripserunt. Quidam, cum viderent exhalatâ animâ omnes organicas potentias cessare, hanc vim animæ consecrarunt. Nonnulli verò Materiae, quod ex hac corpora emergant omnia, in eamq; rursum abeant, & dissolvantur. Ex hac familia animadvertentes alij, Esse cuiusvis rei Formam constituere, operationemq; omnem à forma potius, quam materia prodire, litem & concordiam retinens à forma propigni asseverarunt. Verum enim verò cum actio compositorum sit, & perfectorum Entium; tam Materia autem, quam Forma incompleta sint, Composito efficaciam hanc alij detulerunt. Demum nonnulli nudis qualitatibus Sympathiae & Antipathiae caussas adscripserunt. Postremò Pyrrhonij ullius haberi posse scientiam contentiosè negarunt. Hæc de priscorum commemorata sententiâ.

Quomodo apud rationis tribunal caussa  
sua cadat Antiquitas, ostenditur

C A P. I.I.

**I**N sita nobis vis quedam est divino munere, quam Deum Principium esse, à quo in nos transfundantur omnia, aperte sentimus.  
Vnde

Vnde Philosophus primum Ens vitam omnibus Entibus clargiri & profitetur. Quapropter Esse, & vita individuis cum insit, necessariò continget, ut accidentia omnia, quæ per se ad unumquodque individuum pertinent, ex eadem, dante Esse, causâ originem ducant: Quandoquidem secundum Peripateticos, Agens formam impertiens etiam formam consequentia tribuat. Idcirco cum à Deo Esse, vita, vis operandi, muneraq; omnia particularibus distributa sint, nemo, nisi vecors, affirmare dubitabit, Deum infinita virtute praeditum particularium cura affici. Deum igitur qui principium tale statuunt, rectè quidem & piè, sed minus peritè hoc loco sentiunt; quod in Demonstratione non remotiores, sed causæ exigantur proximiores. Tunc autem Naturam rei scire profitemur, cum nos intima, aut saltem vicina principia nosse opinamur. Qui verò ad universales solummodo causas configurant, omnia illi quidem facili labore solvunt, sed nil insti- tuunt. Ad idē sanè brevis scientia asylum iij quoq; qui litis & amicitiae principiū Ideis, divinis Attributis, & Intelligentijs assignant, inepti configuiunt: Imò, quod intolerabilius, hanc operandi virtutē Deo nefariè adimunt. At, qui principium universale, omniumq; causam cælum ipsum esse dicunt, ad solem ipsum cæciunt: quandoquidem, (ut pòst patebit) multæ Sympathie & Antipathie non ex cœlesti virtute, sed ex manifestis causis alijs derivatae existunt. Anima verò hanc efficaciam dedicantiū lippientes prodit oculos, ut qui male cernant inanimis etiam rebus odium inesse & amicitiam. Sed longius à vero absunt, velut interno sensu orbati, qui causam Physicæ discipline Materiam faciunt. Hæc enim cum pura puta potentia sit, quomodo, queso, tantos moliri effectus poterit? At si vis hæc deferenda formæ, nonné rursum exigendum erit, ut proprietates omnes unius particularis insint omnibus ceteris ejusdem Speciei individuis? Quod enim ratione formæ inest, omnibus etiam eadē formâ praeditis inesse debet; Id quod ex risibilitate, quæ omnib; inest hominibus, perspetuū. Verum multæ proprietates individuorum, quæ idiosyncrasias

Gracis dicuntur, in speciebus non existunt; quod multiplici certe convictum experientia est, inq Lazaro vitri vorace, puella aconito nutrita compertum: que proprietas non totius est speciei, sed paucorum duntaxat Individualium. Forme igitur nullâ ratione hæc facultas quadrabit. Quia etiam aliud essentia est, aliud operatio, ad essentiamq sola Formæ unio exigatur, ad operationem autem organorum dispositio, solum Compositum ad litis, & amicitiae vim edendam imbelli futurum. Neq illi quoq rem acutetigerunt, qui manifestis solum qualitatibus tantum inesse virium putarunt, cum major longè insit impetus occultis. Scepticis vero illis ignorantiae magistris, vel rectius sc opticis Philosophis, illud respondendum censeo, ipsos, dum maximè pernegrant disciplinas, modūq sciendi, probè se didascalicam refutandi peritiam ex analyticis fontibus petitam nosse, prodere, atq tantum, superciliosè magis, quam modestè & Socratice, doctam ignorantiam jaçtare. Hactenus refutata sit Antiquitas.

### Novitorum quorundam in hæc quæstione profectus indicatur

#### C A P. III.

**Q**uid de causis consensus, & dissensus rerum naturalium diversarum factionum prisci senserint, quantumq à vero abfuerint, ostensum: Nunc par est recentiorum aliquot, qui hoc seculo bonarum literarum regnum tenent, judicia poscere, & introspicere, unaq quid in hac re ab illis prestitum, candide aperire. Et sane Fernelius, abditarum causarum professor egregius, l. 2. c. 17, illud quidem, quod tales sint in natura affectiones, convincit, longamq, more Pliniiano, de his historiam necit: ubi vero ad to dñi, adeoq rem ipsam deventum, ita se absolvit: Nihil est, inquit, in nullâ naturæ parte, quod non peculiari, & occultâ proprietate vigeat. Et jam si multa inter se conferamus, necesse est omnino has illorum proprietates, aut similitudine quadam, & affinitate sibi consentire, aut dissimilitudine, atque dissidio adversari. Hinc sympathia, & antipathia profectæ sunt, rebus omnibus insertæ

insertæ: arcanae quidem illæ, & abditæ, quas naturæ potius  
nos mirari, quam scire voluit. Atque his se ipsum abdit. Frac-  
costorius, vir ob multijugam eruditionem, non minus quam Pli-  
nius, & Catullus statuam in patria & meritus, & consecutus, in  
suo de sympathia, & antipathia scripto, multa quidem in hanc  
sententiam egregia, contorta tamen, &, ut ingenuè dicam,  
tanto ingenio indigna protulit, saepèque aliena. Sub-  
tilis Scaliger Exercit. 344. hic filii e masticare videtur, potiusq;  
sympathiam, & antipathiam græcas voculas non propriè latine  
expressas indignari, ambitione ad Grammaticam potius supelle-  
tile pertinente. Quantum verò ad rem ipsam, ad manifestas re-  
duci posse qualitates caussas eiusmodi actionū & passionum negat:  
quastamē ipsas, immemor, in suâ illâ iocose sympatheticæ historiâ sub-  
tilitatis asterisco allegat. Mox verò cur hircinus sanquis adamantē  
confringat, easdē rursus ignorans, solutionis loco, ingenui candidi q;  
animi verbū; Nescio, usurpat. Nicolaus Biesius, cæteris in hac ma-  
teriâ parcior & simplicior, in suo de Universitate libro sympatheticæ,  
& antipathicæ caussam, ex Fracostorio, ad communē incognitamq;  
transfert analogiam. Cesalpinus, nuper à quodam persæpè indigne  
cœsus, questionum medicarum l. i. c. 13. quod quædam à quibusdā  
patientur, materia & ratione contingere scribit, quodq; facile ab igne  
urantur pinguia, non difficulter cum resinis misceantur oleorum  
genera, id non calori, frigori, humiditati, vel siccitati, sed quibusdā  
materiæ conditionibus, ut levitati, gravitati, crassitati, tenui-  
tati tribuendum; atq; inde sympatheticæ, & antipathicæ appellatione  
ortā. His tamē affectiones haud methodo, (fortè à Galeno sic iussus  
loqui) propter difficile similitudinis & dissimilitudinis in materia  
cognitione, sed solâ experiētiæ esse per vestigabiles. Plures, quos vobis  
hac de re scriptores adducere, nō habui. Quod si vel ex his certi ali-  
quid vestrū quishæa perspectū habuerit, ipsis profectò cur agat gra-  
tias, habiturus. Sed ad nostram disquisitionem properemus.

Sympathicæ, & Antipathicæ genus summum inqui-  
ritur, illiusq; conditio excutitur

**V**Niversa Entia, juxta Peripateticos, præter Transcendentia,  
sub aliquo decem summorum continentur generum. Horum  
primum, & præstantius substantia est, sub quâ sympathia &  
antipathia collocari haud poterit; quod substantia, quatenus ta-  
les, se invicem negarent, neq; odio insequantur. Præterea ve-  
ra contrarietatis expertia alia quoq; genera, veluti Tempus, Age-  
re, Pati, Ad aliiquid, Situs, Habitus; in quibus adversitas omnis ex-  
clusa locum non habet: sequitur igitur neq; ijs, quæ sub his collo-  
cantur, dissidium ullum intercessurum. Superest igitur, ut sub  
Qualitate, Quantitate, vel Loco comprehendatur, quod in his so-  
lummodo deprehendatur contrarietas. Et verò cùm in quantita-  
te secundum magis, & minus saltem existat adversitas, nullum  
verò alteri ex eo, quod majori vel minori quantitate ipsi oppona-  
tur, inimicè aduersetur; nullatenus Quantitatis categoriæ haec af-  
fectiones erunt accensendæ: quemadmodum etiam nec sub genere  
loci collucande, quod entium nullū propter unitatem, vel contra-  
rietatem loci in alterum amore, vel odio exardescat. Ergo resta-  
bit sola Qualitas genus proximum sympathia, & antipathia con-  
stituendum: quod sanè genustam occultas, quam manifestas spe-  
cie differentes qualitates complectitur, quarum aliae similes, aliae  
diversæ, quedam omnino contrariae. Contrariae in eodem gene-  
re longissimè distant: diversæ verò inter contraria locum habent:  
similes verò sibi ipsis respondent. Similium qualitatum aliquæ  
divinis adherent corporibus, aliquæ corruptionem subeuntibus:  
quibus sanè aliae secundum speciem insunt, veluti jungendi sibi  
ferrum in magnete virtus: aliae secundum individuum particu-  
lares, ut vinitadium: aliae secundum partem aliquam, ve-  
luti unguem vel cornu, singulares. Res igitur naturales omnes  
quoniam ob qualitates similes, vel dissimiles amore invicem con-  
veniunt, odio discedunt; consequens erit, sympathia & antipa-  
thia rerum naturalium adversas, vel similes in corporibus exsi-  
stentes qualitates causas ponendas. Sed verò cùm ex uno eodem q;  
lis exoriri & amicitia nequeat, qualitatibus has affectiones in-  
ferentibus

ferentibus duo saltēm substituenda subiecta, quorum alterum re-aliter, & quo ad esse ab altero se junctam, similibus ei qualitatibus congruere, vel contrariis adversari possit. Deinde siquidem qualitates subjecti egent fulcro, ut perfecta sit oratio, cognitum adhaerentia modum oportet. Possunt verò, que insunt, multipliciter corpori inesse, actu videlicet, vel potentia; estq; potentia, non minus quam actus, duplex, prima puta, & secunda, Prima, gratia exempli, scientiae in mente dispositio, Secunda scientiae indeptio. Actus verò primus à posteriori potentiae actu ausspicatur, altero impetrata operatur scientia actu. Quoniam verò dictæ Qualitates expeditè aggredi suas operationes possunt, in primo potentia modo nequaquam futura. Vnde sequetur esse in altero, inq; eo primo vel actu secundo. Vbi tenendum, omnibus modis diverso respectu eas sic posse existere: cùm enim aliqua earum subjecto formaliter utitur, primum actum consequitur: ab actione verò, cœuferiatura, cessans, potentia esse secundo modo prohibetur: quando verò in opere strenuè versatur, ad actum secundum reducitur. Verum nunc species dispiciamus.

## Sympathiæ & Antipathiæ species recensentur, & earum ratio explicatur

### C A P. V.

**Q**uanquam dissensus & consensus rerum naturalium omnes sub commune genus Qualitatis vocati; non inde tamen sequitur, eos in plures species non divisibles. Nam eorum, qui cœlestium virtute in Entia transfunduntur, sub diversis species collocantur; pariter, qui ex Qualitatum elementarium im-petu proficiuntur, sub aliis atq; aliis continentur. Causæ igitur eorum quandoquidem existunt variae, res etiam, quibus

innituntur, realiter distincte, varias atq; multiplices earum species esse necesse. Postea, cùm idem sit rei essentia, & significatum definitionis, sequitur, si essentia diversarum Specierum existant variae, tales quoq; definitiones futuras. Quare consensus & dissensus plures diversas q; species sub se cùm habeat, certè specierum multitudini definitionum respondebit numerus. Nemo tamen hinc arbitretur, has odiū & amicitiae caussas subjecto semper omnino sejunctas nunquam simul alicui individuo adhærere posse: Quamvis enim revera, & realiter semper differant, interdū tamen unum idem q; diversis caussis subjectum deprehenditur: Et hinc calidū et rubrum, Martis & Veneris naturis præditum, res efficere diversas potest; quatenus calidum, amorem incendere; quatenus verò rubrum aliquod animal fugare. Caliditas igitur color q; rubeus uni cùm insint subjecto, inde statuimus, plures etiam earum in uno individuo constari posse; atq; sic Qualitates has specie differentes aliquando uni alicui individuo junctas, aliquando verò in pluribus sejunctas exsistere.

## Caussæ Sympathiæ & Antipathiæ Vniversi, corporum cœlestium, elementorum, & tandem compositorum demonstrantur

### C A P. VI.

**L**Item & amicitiam à Qualitatibus ipsis emanare compertum cùm sit, totius Vniversi etiam Sympathiam & Antipathiam ab ijsdem principijs proficiisci existimandum. Quæ enim elementis insunt Qualitates, cælo quoq; inesse deprehenduntur, quamquam nota nobiliori. Pariter, quæ superioribus, imis quoq; convenienter corporibus, sed humiliori facie: Calidas namq; frigiditas, humiditas

humiditas, siccitas quandoquidē formaliter elemētis insunt, viciſſitudini obnoxiae, qualitatesq; corruptrices à Peripateticis dictæ; quæ quoniā virtualiter duntaxat cœlestibus inharent, perfectivæ nuncupatae. Ergo cùm eadem, quæ in superioribus, etiam in postremis his, & vice versa, exſiſtunt: ex horum congruentia sympathiam, ex diſſonantia antipathiam Vniverſi provenire necesse eſt. Neg; ex his, gratia exempli, dictis Qualitatibus ſolummodo lis in univerſo oritur & amicitia; ſed prorsus ex omnibus, quo cung; modo ſimilitudine vel contrarietate naturæ ſibi correspondentibus, vel contradicentibus.

Quandoquidem igi-

tur affectiones hujusmodi Qualitatibus corpori annexis attributa, ſequetur corporum cœleſtium impetum, quo ſe adamanter offendunt, ijsdem tribuendum eſſe. Et ſic ſeres habet. Mars enim calidus & biliſus, Saturnus frigidus & melancholicus, ob Qualitates contrarias ſibi infenſiſunt; quales ſimultates invicem Venus & Sol non alunt, ob Qualitatis humidæ convenientiam. Id quod Planetis ceteris, ſtellisq; uſu venit omnibus; adeo, ut conſtituenda haec Maximaſit: Cœleſtium conſenſum à ſimilitudine, diſſenſum à diſſimilitudine fieri.

Quòd verò Aſtrologi hanc facultatem ad Domorū vel Exaltationum contrarietatem potius transferunt, non ob id res aliò redit, ſed in Qualitate adhuc perſtat.

Eſt enim (pro exemplo) Solis Exaltatio in Ariete, Saturni in Libra. Arietiſ Qualitas ſicca, Libre humida eſt; ideoq; ſaturnus in Ariete, Sol in Libra deprimitur, propter Qualitatem ſignorum ab horum Planetarum Qualitate diuersam; id quod & de Domorum ſerie, reliquiſq; dignitatibus ſtauendum.

Mundus verò hic inferior ideo continuus superiorib; lationibus, ut inde principium motus, virtutemq; omnem hauriat, ſine cuius gubernatione ſuperereſſe diu nequieret. Proinde nil in hoc ſublunari orbe virtutis cœleſtium expers, ſed ea abundat, euq; magis, quòd ſuo in genere quodq; preſtantius.

At q; ſic primariae partes Elementa ab illa adſpiratae, pro ut illam

excipiunt, ita pugnam vel ineunt, vel induciis quiescunt. Prædita enim omnibus cœlestium virtutibus sunt, quarum aliquas sibi ipsis respondere, alias sibi mutuo adversari Astrologi, Philosophi antiquissimi, explorarunt. Martem Lunæ dissimilem, similem autem Soli; Jovem parem Veneri, contrarium Saturno; & sic de ceteris. Hæ igitur stellarum Qualitates, in elementa transfusæ, dissimilitudinem habentes, dissidium faciunt: similitudine verò prædictæ concordia necunt. Prima itaq; elementorum Qualitates, siquidem virtute non impares, nisi à cœlestium facultate adjutæ firmarentur, pugnare saltem invicem, nequaquam verò vincere possent, atq; sic omnis generatio cessaret atq; corruptio. Omne enim, quod generatur vel corruptitur, id pati à suo contrario debet. Nam quia contraria elementorum ad centrum mundi non existunt, Ignis terraq; partes nec obitum, nec rursum sentirent ortum: Non enim leve unquam deorsum, nec grave sursum tendit, ibi q; moratur. Vnde nec terræ partes in centro, nec ignis in suo loco generationis & corruptionis vicissitudini subjicerentur. Nunc verò quia contraria elementis virtualiter (quæ virtus nihil aliud est, quam vicem contrariorum gerens cœlestium impetus) insunt, eorum invicem partes gignunt, & interimunt.

Est deinde & alius à manifesta Qualitatum congruentia, & dissonantia, elementorum consensus, & dissensus, quo terra frigiditate aquæ respondet, aqua humiditate aëri, ignis siccitate terræ. Simili pacto terra siccitate aquæ repugnat, aqua frigideitate aëri, aër humiditate igni, ignis siccitate aëri, aër caliditate aquæ, aqua humiditate terræ. Quam sanè absq; causa admiratur rationem Fracastorius: rem tūm demum admiratione dignam, si eorum forma non certis gradibus, sed in summo sibi adversarentur.

Quia autem præter qualitates sensibiles virtutes cæli elementis insunt, multæ rerum naturalium amicitia, & inimicitia

non tam ex qualitatibus elementorum, quam ex corporum cœlestium influxu ortum habitura. Cum enim elementorum vires excedunt effectus, ipsis nequaquam accepti ferendi. Nam cum omnis operatio è forma prodeat, neq; quicquam ultra facultatem formæq; consequentiam possit agere, existimandum elementorum virtutes gradum suarum formarum non excedere, sed humida, quatensis talia, solum humiditatem, frigida frigiditatem imprimere: non item ferrum trahere, aut puppim detinere, que Herculeus lapis, & Echeneis præstare assolent, quas vires simpliciter misit his cœlitus immisas arbitrandum. Idcirco lis & amicitia, quæ ad elementorum Qualitates reduci nequit, superiorum efficacia adscribenda. Hinc virtutes superiorum plantis, lapidibus, metallis, animalibus, & eorum partibus affixa, si sibi ipsis similitudine convenient, res ad amicitiam vocant, si verò dissentiant, odio disturbant.

Sunt tamen & aliae Sympathia & Antipathia compositorum cause, elementorum nempe in mixto existentes virtutes; atq; harum interventu consensus compositorum à virtute consimili elementorum, dissensus à dissimili potentia emanat. Quod verò de primis Qualitatibus hic assertum, id quoq; de secundis & tertiiis accipiendum. Est q; hec non tantū in animatorū, quæ motu agitantur externo, propria affectio, sed & quæ motu interno cinctur, animatis communis passio: Anima n. & corpus invicem compatiuntur. Vnde quæ corporis temperamento congruunt, mutua discordia se se necunt. Quæ verò contrariam sortitatem temperiem, invicem se se abdicant & pellunt. Ob id melancholici, quod succitas in ipsis dominetur, frigiditasq;, à calidis & humidis, adeoq; sanguineis animalibus abhorrent: propter frigiditatem tamen phlegmaticis, propter siccitatem congaudent cholericis. Sanguinei verò ratione humiditatis phlegmaticis congruunt, à cholericis alieni, ob caliditatem tamen phlegmaticis adversi, cholericis grati. Cholerici omnino phlegmaticis exosi, qui tamen humiditate sanguineis, frigiditate favent melancholicis. Quamvis au-

tem anima omnis corporis temperamentum sequatur, differunt  
tamen inter se, longeque. Specie diversae sunt animae. Quae enim bru-  
tis Esse, vivereque conferunt, rationis electionisque expertes ex-  
sistunt, ita, ut passiones ex corporis temperamento ortas nullo su-  
perare pacto valeant; verum magis ab ipsis impulsa prosequi affe-  
ctiones corporis cogantur. Dissimilem igitur temperiem obti-  
nentia, conatu quodam naturali sibi obssistunt infensa; similem  
verò Qualitatem nacta, intimè diligunt. At homo, qui ratio-  
nis, consilij, electionisque compos, ad actum nequaquam un-  
um, sed tam ad bonum, quam ad malum aequè dirigitur. Et  
quanquam per corporis affectiones ad aliquid agendum vel fugi-  
endum disponatur, moveaturque; non tamen cogitur, necessarioque  
corporis passionem insequitur: immò renitens in contrariū aliquan-  
do potius fertur. Exinde melancholici & sanguinei neg, sem-  
per sibi congaudent, neg, condolent: Et licet diversis corporis  
Qualitatibus varie afficiuntur, ex virtutis tamen habitu vel se  
diligere, velex animi pravitate odiisse possunt. Hinc aliæ sympathiaæ  
& antipathiaæ corporis & voluntatis originem trahunt, quæ, siqui-  
dem non pure naturales, aliquam tractationem exigunt.

Regulæ, quibus Sympathiaæ & Antipathiaæ rerum  
naturalium caussas venari liceat,  
recensentur

#### C A P. VII.

Corpora cœlestia, cum mistis & compositis influant, illorum  
semper junctam virtutem circumferant opus est. Ita omni  
enim individui actione vis sublimioris potentiae non excludi-  
tur, sed cooperatrix principalis rectè censetur. Quemadmodum  
enim superiorum corporum virtutes proxime sibi sunt, vel dissi-  
dent. Qualitate: ita composita ipsis subjecta eodem principio se se  
nectunt vel dissolvunt. Quocirca quoniam Sol & Venus amici  
planetæ sunt, ijsdē subjecta mixta invicem se se diligunt: Quæ verò  
Saturno subsunt, à Venereis rebus alienissima existunt, ob Veneris  
Saturni quoque inimicitias naturales. Hinc nomenclaturam suam res

qua-

qualibet poscunt, ut aliae Saturninae, aliae Joviales, quadam Martiales, nonnullae Solares, aliae Venereae, aliae Mercuriales, & denique Lunares aliae appellantur. Proinde quod horum omnium scientia habeatur, alterumque ab altero distinctum judicetur, cuinā quodque planetae subjiciatur, disquirendum: sic n. illicè omnis innotescet dissensus & consensus in Naturae causa. Visum verò sapientiae & fundatoribus, antecessoribus nostris, id totū ex radiorum motus & figuræ superiorū imitatione, tum ex odoribus, coloribus, saporibus; quadam ex operationibus, affectibusque corporibus cœlestibus consonis perfectissimè venari. Compertū hinc ijsdem, Saturno subiecta esse gravia, terrea, obscura, reptilia, solitaria, melancholica, nocturna, contemplativa, avara, timida, laboriosa, invida, ex putri materia genita, impure viventia, fœtus proprios devorantia, feralia, funesta, gravem & molestū odorem spirantia. Iovi autem obnoxia calida, humida, vegetationi que idonea, grata, pia, mansuetia, justa, mitia, disciplinabilia, morata, temperata, sapientia & dignitate præstantia, cum aliqua acrimonia & stipticitate dulcia, odore suavia, colore aurea, & viridia. Martis vero mancipia ignea, sulphurea, rubra, adusta, acuta, amara, linguam perurentia, acria pariter ex caloris abundantia, venenosa, cutem exurentia, vel pungentia, spinis tecta & munita, omniaque bellicosa, rapacia, famelica, audacia, & animalibus infesta. Soli parent lucida, aurea, acuta cum dulcedine mista, magnanima, glorie cupida, noctis lucentia, cantuque Solem vocantia. Venerea sunt sanguine cum pietuita abundantia, alba, dulcia, unctuosa, delectabilia, salacia, otiosa, perdite amantia, hircumque olentia. Mercurium præsidem habent aquæ, sagacia, ingeniosa, velocia, vafra, sexum utrumque habentia, & effeminatè imberbia. Luna dominatur humidis, pinguisibus, insipidis, albis, argenteis, & que pro situ varietate colores mentiuntur, aquatilibus item & menstruis.

Cognitis itaque & perspectis stellis prædominantibus, litis & discordiæ causa futura plane. Sciendum autem, dissensum saltem virtute duarum stellarum in duo subjecta effusa effici: consensus

sensum verò modo à facultate duarum stellarum, modo unius, quæ  
duobus vel pluribus subjectis insit, illaq; necat proficiunt. Præte-  
re aquemadmodum eadem stella plures diversasq; naturas sortita:  
ita individuum ipsi subjectum plures diversasq; ejusdem stellæ  
facultates haurire potest, ac retinere, pluribusq; sympathiis & an-  
tipathiis subjici. Vbi igitur individuum aliquot pluribus mo-  
dis assensu vel dissensu affectum comperimus, illico mentem  
ad cœlestia erigemus, & quæ sidera hanc virtutem instillent per-  
vestigabimus. Hic verò admonendum, nos tantum litis & con-  
cordiae eas caussas, quas sua efficacia planetae constituunt, disqui-  
tare, iis, quæ à sideribus octavae sphaerae ortum habent, omissis. Fixa  
enim sidera, quoniam innumerabilia, effectus in ea relati scientia  
à nobis comprehendendi non possunt. Quo circa cum stellæ natura &  
Qualitate planetis respondeant, hacq; illius, illa verò hujus natu-  
ræ compos, (quam colore etiam judicare non difficile est) effectū  
siderum ordinem planetarum non egredi, sed simul in ortum &  
occubitum rerum cum Planetis (quos Græci inde κοσμογότορες,  
mundi principes, & δεούσες θυλαῖς, consiliarios Deos, & ἐγκλινῆς.  
hoc est, interpres nuncupabant) conspirare statuendum. Et quia  
infinita etiam sunt, quæ ab ipsis planetis fiunt, horum etiam scien-  
tiam absolute perfectam, omniumq; congruentiarum, & incon-  
gruentiarum caussam callere nos posse diffidimus. Fatemur poti-  
u libenter, imperscrutabilia Dei esse opera, nosq; homines tantis  
rebus nimium impares. Interim tamen, quæ nosse nobis concessa  
sunt, gratissima mēte leti accipiamus, confisi, dictis observatis regu-  
lis, plurimas adversitatis & consensus in natura nos explicaturos  
caussas. Non placuit autem hoc loco, quam vera aut falsa sint qua-  
dam, etiam majoribus probata, Sympathia & Antipathia exempla  
(quorum non paucā manifesta contradicunt experientia) con-  
sendere, sed hæc & similia in disputatione ipsa exspectare.  
Interea hæc, quæ ex Illustris viri Tychonis Brahei domestica  
semestris conversatione feliciter consecutus, tibi candidè  
impertio; ingenuè, lector, excipe, boni q; consule.

